

XXVII.

Q. D. B. V.

ad

Orationem vltimam audiendam,

qua

Ill. Gymnasio Ilenacensi,

cui,

ex-NVMINIS sanctissimi,

*Serenissimique Principis ac Domini,*

DOMINI

JOHANNIS

WILHELMI,

Ducis Saxoniae, Juliaci, Cluiae, Montiumque,  
Angriae & Westphaliae Ducis, Landgraffi Thuringiae,  
Marcgraffi Misniae, Principis Hennebergiae, Comitis Marcae  
& Rauensbergii, Saynae item & Witgensteinii,  
Dynastae in Rauenstein, &c.

Amplissimique SENATVS Urbis Ilenaci,

gratia, clementiaque & beneuola voluntate

per quinque Annos cum dimidio praefui,

postremum VALE constitui dicere,

Mecoenates omnes, Patronosque & Fautores  
submisle, officioleque & peramice,

*in crastinum diem XX. Junii M DCC XIII.*

inuito

CHRISTIANVS Buncfer / Dresdenfis,

Serenissimorum Saxoniae Ducum Historiographus, Regiaeque Borusfi-  
cae Societatis Scientiarum Socius, Ill. Gymnasii haecenus  
Rector, & Bibliothecarius,

nunc vero

Ill. Gymnasii Altenburgensis vocatus

DIRECTOR.

ISENACI, Litteris Michaëlis Urbani, Aulae Typographi.

Hist. Saxon.

H.

195/10

*De Rectory Gymnasii Ilenaci*

*Hist. Saxon. Gymn. - Vol. 2. (4te)*



**Q**uod si vnquam libens manum scripturae adplicui, fane hoc quidem tempore lento progreditur passu calamus, quasi reluctans officio, ad quod destinatur. Verba nimirum postrema fieri a me debere in hoc Ill. Gymnasio, cui per quinque annos cum dimidio praefui, indicandum est, non temere alias mihi passus persuaderi, fore, vt ab ea Schola, quam gratia DEI, clementia PRINCIPIS, PATRONORVMque cura, & indefessa docentium industria, vsa consilio auxilioque eorum, quorum interest, ne quid ea caperet detrimenti, ad famam aliquam, ex utilitate communi, quae in discipulos deriuata non raro adparuit, visa est haecenus euexisse, tandem, nisi expletis vitae spatiis, discederem. Enimvero me prorsus non opinante factum est, vt, cum Nobilissimus Vir, Dn. Iohannes Christophorus WENZELIVS, Medicinae Doctor, Marcksuhlæ in Isenacensi agro natus, educatusque olim in hac ipsa Schola Isenacensi, vltra annos vero XVII. Scholae prouincialis Altenburgici Principatus Director celeberrimus, deque Iuuentute meritis praeclarissime, nuper ad regendum Gymnasium Zittauense parasset abitum, Ipsi ego succederem Gymnasii istius Ducalis Director, ex propensissima in bonas litteras harumque culturam voluntate Excellentissimorum Amplissimorumque Inspectorum & Patronorum, confirmata mox per clementissimam Serenissimi Principis ac Domini, Domini FRIDERICI, Saxoniae, Iuliaci, Cliuiae, Angriae, Westphaliaeque Ducis, &c. consensionem. Sequi nolle vocantem Deum, nefas omnino est, & periculo non caret, cuius experimenta, tristia prorsus euentu, & a me semel, & ab aliis, facta sunt, non temere denuo iteranda. Cumque adeo pium existimauerim, non refragari velle iubenti Numini, sed potius, dum cuncta supra nos curat negotia, morem ei gerere, vel ad Garamantas ire iussuro Indosque, siquidem voluntas Ipsius diuina perspicua sit; fas etiam non duxi, si, qui in luce totius Urbis Prouinciaeque huc vsque sum versatus, discessum pararem velut in tenebris, sine bonis verbis hinc abiturus.

Quae dum consideraui mecum, subiit simul recordatio RECTORVM omnium, qui Scholam Isenacensem inde a tempore emendari coeptae, emendataeque postea in melius religionis, sunt moderati. Quorum aliquam quidem recensionem instituit D. Christianus Franciscus Paulini, patriae quondam suae, Isenaci, decus insigne, in Annalibus Urbis, sed passim, nec iusto ordine; accuratiorem tamen Summe Reuerendus & Magnificus Dn. Iohannes Christophorus Zerbst/Consiliarius Ecclesiasticus, Consistorii Supremi Assessor, Pastor Primarius, Superintendens Generalis, & Gymnasii huius Ephorus, longe meritisissimus, dedit eo tempore, quo nostrae mediocritati tradebat publice habenas Gymnasii; nisi quod optamus, vt Clarissimus Vir, Dn. M. Godofredus Ludouici, Ill. Gymnasii Schleusingenensis Rector celeberrimus, & Collega olim noster amicitissimus, sollertiam suam felicem admodum, haecenus Historiae Scholarum prae caeteris inclytarum accommodatam, huic etiam Gymnasio, describendisque, qui illud ornarunt, Rectorum, me antecedentium, Vitis adplicare velit. Singularia enim horum fata reperio, cum paucis, vt arbitror, Scholis communia. Qui enim in Seculo XVI. praefuerunt Scholae, singuli euaserunt alius, & plerique ad officia quidem eminentiora; ast qui in Seculo XVII. moderati sunt Scholam, non, nisi cum morte, deposuerunt regendi onus.

Primus, qui D. Martini Lutheri praeceptor fuit, innotuit nobis Iohannes TREBONIVS, ab ipso, vt dextre tradens grammaticam, probatus, teste Philippo Melancthone, Tomo 4. declamationum, pag. 489. & humanissime salutans discipulos, quoties Scholam ingrederetur, neque aliter, quam eodem modo, a Collegis suis fieri passus, ita referente Andrea Toppio, in historia Urbis Isenacensis, a me edita, p. 70, 71. de quo Trebonio tamen non memini alibi quidquam, praeter ista, & quod aures haberit mobiles, me legisse. Excepit hunc

M. Sebastianus BOETIVS, Gubenas, factus post annum 1540. Ecclesiae Isenacensis Diaconus, mox Ao. 1544. Pastor & Superintendens Ecclesiae in libera Imperii Vrbe Muelhausen, in locum Iusti Menii, ac tandem Ao. 1547. Pastor Ecclesiae in Vrbe Hala Saxonum, seu, vt quidam mavult, Hermundurorum, functus isto officio vsque ad vitae finem, Ao. 1573. Proximus ab hoc erat

M. Bartholomaeus ROSINVS, seu Rosfeld/Pesnicensis-Osterlandicus, qui, ex Rectore Scholae, Diaconus Isenacensis, Anno. 1551, postea vero Pastor & Superintendens Vinarie, ac tandem Ecclesiae Ratisbonensis Antistes, factus est; pater Iohannis Rosini, Ecclesiastis tandem Naumburgici, cuius inter libros laudem omnem promerentur tum Antiquitates Romanae, a Thoma Dempstero, Scoto, Commentariis illustratae, tum  
Vitae



Vitae *Friderici* Sapientis, *Iohannis* Constantis, & *Iohannis* *Friderici* Magnanimi, Saxoniae Electorum. *Rosinum* sequebatur Anno 1551,

*Andreas* BOETIVS, Gubena, Lusatiae superioris vrbe, ortum trahens; *Sebastiani* Frater, qui, cum *Diaconatum* Ecclesiae Isenacensis Ao. 1559, vix adiisset, functus est suo fato, mactatus insigni isthoc elegio a *Christophoro Wienero*, Tumulorum L.I, p.4,

*Quo Rectore Scholas Schola patria praestitit omnes,  
vicini Seclo quas habuere suo.*

*Grammatices palmam, testante Melanchthone, subte  
Isiaci reliquis praeripuerunt Scholis.*

Huius Successor erat

M. *Fridericus* WIDEBRAMVS, seu *Widebrand*, Pesnicensis; qui, cum ad annum vsque 1562, Scholam hanc rexisset, *Iohannis* Stigellii, suauissimi Poëtae, in Academia Ienenli, *Professoria* dignitate ornatus locum occupauit; inde vero dimissus abiit Wittebergam, obtentoque ibi *Doctoris Theologi* honore, suffectus est D. Paulo Ebero, *Pastor* ac *Superintendens*; quod vero ad partes alienas inclinaret, non diu ibi commoratus, tandem a Iohanne Casimiro, Comite Palatino, ad formandas in alium modum scholas ecclesiasque Heidelbergam vocatus finem viuendi ea in vrbe habuit.

M. *Iohannes* PVRGOLD, Widebrami in Rectoratu Scholae Isenacensis Successor, *Pastor* ac *Superintendens* Weissenfelsensis effectus est.

M. *Quirini* THANMANNI, seu BISSANDRI, fata ignoro, quem ad Annum vsque 1580. Scholae gessisse curam, Annales docent. Huius autem frater,

M. *Adam* THANMANN, vulgo BISSANDER dictus, notior est; antea *Professor* Philosophiae in Academia Ienenli, ex qua propter turbas illorum temporum Ao. 1569, eiectus, & Saalfeldensi & nostrae, moxque illustri Paedagogeio Gandersheimensi, *Rector* praefuit; sed, cum *Professionem* in Academia Helmstadiensi publicam detrectasset, rediens Isenacum adscriptus est ordini *Senatorio*, mox tamen, quasi suae sortis ipsum nunquam non poeniteret, *Scholae* Müluerstedensis fuit *moderator*, tandem denuo *Senator* Isenacensis pristinam in curia obtinuit sedem, ipsemet suae faber fortunae.

His addimus *Christophorum* DVERRFELDIUM, non Rectorem quidem, at *Con-Rectorem* tamen, siue, vt illis temporibus adpellari solebat, *Hypodidascalum*, Gothae natum, qui postea Philosophiae & Iuris vtriusque *Doctor*, *Professor*que in Academia Ienenli, renuntiatus est, vocatus deinde *Consiliarius* in aulam Vinariensem, mox *Syndicus* Urbis Hallensis in Saxonia, ac demum *Adfessor Camerae* imperialis Spira; e puluere scholastico ad lucem aularum iudicii in Imperio Germanico supremi, protractus, raro admodum exemplo. Quamquam nuper etiam nobis contigit Lipsiae ex insperato salutasse Regis Poloniae Electorisque Saxoniae *Consiliarium* in negotiis metallicis, *Doctorem*que Medicinae & Practicum Dresdae inclytum, praenobilissimum Dn. DIETMANNVM, ante hos XXXIII annos in Schola Zvickauensi Collegam, & meum quoque illo tempore, cum, grassante Dresdae peste, ibi aliquamdiu commorarer, celeberrimi Rectoris, *Christiani Daumii*, auditor per annum integrum priuatus, interdum in lectionibus publicis praeceptorem.

Enimuero, qui Scholae Isenacensi per totum *Seculum* XVII. praefuerunt, *Rectores*, non mutauere suam sedem, nec aliud vitae genus elegerunt, neque etiam altius euecti. Horum adeo sufficiat nomina indicasse, cum de meritis singulorum loquantur monumenta & lapidea & viua, tot videlicet discipuli egregii, quos inter multi adhuc supersunt, iique partim, seniores praesertim, in eminentibus dignitatibus constituti. Agmen horum ducit

M. *Valentinus* WEINRICHIUS, Steina-Cheruscus, quem, cum discipulorum salute & patriae gloria, Scholae praefectum fuisse, Ao. 1583, D. *Paulini* commemorat, placida morte obeuntem Ao. 1622, scholasticae seruitutis 39, aetatis autem 69. nactus successorem filium,

M. *Jeremiam* WEINRICHIUM; quem

*Conradus* MVLLERVS, Isenacensis, velut hunc

*Heinricus* BOERSTELMANNVS, Brunsvicensis, inde ab Anno 1656 excepit, vsque in annum 1700, quo placide expirauit. Vir graecae romanaeque antiquitatis imprimis doctus; omne Scholae regimen relinquens suo haftenus in laboribus publicis Socio,

M. *Christiano* ZEIDLERO, Ronneburgensi, Saalfeldensis antea Coburgicaeque Scholarum Rectori, optime merito, quem die 21. Augusti 1707. viuere desiisse, constat apud nos inter omnes.

Sub haec igitur initia *Seculi* XVIII, cum, post constitutam Ao. 1704. *Classem* Selectam, isto Ao. 1707 voluisset Scholam Urbis prouinciaque ornari nomine illustris seu principalis Gymnasii *Serenissimus* patriae Pater, Dux IOHANNES WILHELMVS, Domi-

nus



nus in nos Musasque clementissimus, iuberetque mediocritatem meam agere *Rectorem* Gymnasii sui *primum*, quam sancta *fide*, quantoque *studio*, & quam *vigilanter moderateque*, expletae sint partes demandati officii, nostrum plane non est commonstrare, facile passi feueros imo iudices, qui operas nostras propius frequenterque inspexerunt suis oculis, principalium curarum excellentissimi Administri, ideoque etiam longe magis idonei, qui sanam ferrent sententiam, inuenirentque apud alios fidem, quam ii, qui de rebus sibi non notis solent iudicare non eo, quo sapientes decet, modo.

Nunc vero, cum aliorum migrare me iubeat DEVS, pietas postulat, vt SERENISSIMO DOMINO, pro tot clementiae suae documentis, humillimas agamus gratias, Etque & CELSISSIMAE FAMILIAE, prospera quaeuis ex animo adprecemur, nullo non tempore subiectissimae venerationis, quam OPTIMO debemus PRINCIPI, memores futuri. Multo etiam nomine obstrictos sibi nos tenent *Generosissimi Excellentissimique* supremorum Collegiorum, Secretioris videlicet Consilii, Aulae, Regiminis, Aerarii, Consistoriique, Consiliarii ac Ministri, quorum in nos maiorem utique meritis fauorem & depraedicauius saepe, & extollere nunquam cessabimus, quippe per quos erecti sumus haud raro in variis, quae obuenerunt, aduersitatibus, aucti etiam beneficiis, & ornati honore. Iplis vt bene sit, vtque ex voto fluant suscepta ab ipsis negotia omnia, vtque, ceu haftenus, curam porro agere velint, ne quid aut pereat, aut temere praeterque necessitatem immutetur in rebus Gymnasii, ordineque agendorum, & disciplinae, salutariter ex matura deliberatione constituto, seria oratione contendimus; Numinis simul protectioni tradituri summe plurimumque Reuerendos *Ecclesiae Isenacensis Ministros, Senatūque Amplissimum, & Collegas*, quos haftenus habui, fidos, compositosque ad indefessam industriam, amantesque mecum mutuae pacis concordiaeque; ex quibus virtutibus non leue accessit Gymnasio decus. Gratiam vero DEI non minus exorabimus perpetuam, vti *discipulis* nostris, ita in vniuersum quoque *Ciuiibus* huius Urbis singulis, vt, quam ostenderunt huc vsque in scholasticos, docentes discentesque, benevolentiam, iuuandique alacritatem, nolint in posterum aut exuere penitus, aut imminui, certi quippe, omnium ipsorum vehementer interesse, vt Gymnasium intra urbem habeant flore perpetuo commendandum; nec male collocari, quod redire possit aliquando multo cum foenore. Haec erit summa precum nostrarum, quas publice privatimque, & heic & alibi, fundemus, ex mente sincera; postquam verba, ne a consuetudine officiique rationibus alieni videamur, fecerimus die crastini hora VIII, de pereximio dicto Lutheri, quo libellum, prima religionis Christianae capita & rudimenta complexum, finiuit: *Ein ieder lerne seine Section / so wird es wohl im Hause stohn.*

Ad quae audienda, dum neminem non Mecoenatum Patronorumque & Fautorum, submisso officioque & peramanter inuitamus, exemplum adhuc imitabimur Clarissimi quondam Viri, *Christophori Cellarii*, \* monumentum nostrae pietatis relicturi, quale ipse, paucis immutatis, Cizae statuit, cum inde Martisburgum discederet, vt nos Isenaco Altenburgum:

MEMORIAE. ISENACENSI  
SACRVM.  
EGREDITVR. EX. POMOERIIS. TVIS  
O. CIVITAS. PERCARA  
QVI. TVIS. COMMODIS. STVDVIT. SEMPER  
NEMINI. SVA. SPONTE. MOLESTVS  
NEC. ABSENS. STVDERE. DESINET  
NON. A. CIVIBVS. EXPVLSVS  
SED. FATIS. IRREVOCABILIBVS  
ABIRE. IVSSVS.  
TVAM. TVORVMQVE. IMAGINES  
IN. LARARIO. PECTORIS. SVI  
SACRAT  
VT. PENATES. QVOCVNQVE. IT. DEPORTAT  
TV. CAVE. ALITER. SERVES  
MEMORIAM. ILLIVS  
QVAM. QVO. IPSE. TVAM. MODO. COLIT  
HOC. EST  
SANCTE. SINCERE. IVCVNDE  
VALE. VRBS. CARISSIMA  
ABEVNTI. BENE. PRECARE  
SIMVL. AVTEM  
AETERNA. ESTO. GRATIA. DEI  
ILLVSTRI GYMNASIO ISENACENSI. \*\*

P. P. die XIX. Iunii A. O. R. M DCCXIII.

\* Programmat. pag. 509, & 600.

\*\* Hoc pio elegantique Chronosticho bene precatus est litteris ad me d. 28. Ianuarii huius anni perscriptis, Vir Pl. Rev. Amplissimusque, Dn. *Ioachimus Heglein*/ P. L. C. & ad D. Laurentii in Lib. Imp. Vrbe Norimberga Ecclesiae Minister meritisimus.

\* \* \*